



PRORECTOR  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
IO·BALTHASAR  
VVERNHERVS

POTENTISS· POLON· REGIS ET ELECTOR· SAXON·  
A CONSILIIS AVLAE ET IVSTITIAE PANDECT· PROF· PVBL·  
CVRIAE PROVINC· SENATVS ECCLES· SCABIN· ET,  
ORDINIS IVRID· ASSESSOR

CIVIBVS ACADEMICIS

S P D



**N**on facile finit DEVS immortalis, ut uel  
iniuria temporum, uel tristibus, fune-  
stisque casibus intercidant instituta, ad  
pias causas, cultumque sui, atque conseruandas  
litteras, comparata. Vt enim haec ipsa salua uult,  
ac perpetua: sic ea pariter subsidia, quae hoc  
praestent, atque efficiant, ut illa floreat in per-  
petuum, nullaue temporis uetustate corruant,  
aut labefactentur. Quocirca cum durat ad-  
huc, tum etiam durabit usque adeo, quoad hoc  
erit diuinae, humanaeque sapientiae domicili-  
um, conuictus iste VVolframsdorfianus, idem-  
que eximius, etsi, qui ante hos ipsos annos duo-  
decim eum constituit, inelytissimus quondam  
in toga heros, illustrissimus HERMANNVS de  
VVOLFRAMBSDORF, dynasta clientelarum:  
*Mugelae, Saalhusii, Sittenae, Colmenae, Lim-  
pachii, Koesteritii, Grosagae, Hartmansdorfii,  
Durrenbergae, Potentissimo Poloniarum Regi,  
ac Serenissimo Principi El. Saxoniae a San-  
ctioribus consiliis, et summi Aulae Praefectus,  
Censuumque Prouincialium Moderator prima-  
rius, Ecclesiae Martisburgensis Praepositus, an-  
no altero, postquam beneficium fundauisset, e ui-  
ta excessit: etsi nuper herois filii, iidemque mu-  
nificentiae paternae aemuli: IOANNES FRI-  
DERICVS, et IOANNES GEORGIVS, atque  
ex iis ille anno superiore, hic abhinc triennium,  
pari-*

pariter uitam cum morte commutarunt. Effet  
quidem optandum, ut DEVS Opt. Max. con-  
feruare uoluisset Conferuatores beneficii perin-  
dulgentes: sed tamen, cum eos, praematurato fato  
extinctos, coelo iamdum receperit, id nobis ta-  
men consolationis restat, quod spe erigamur,  
AGNATOS, animo aequae excelso praeditos, id  
enifuros esse, ut institutum, quod constans, aeter-  
numque esse uoluerit HERMANNVS, in perpe-  
tuum maneat: in primisque perillustrem, summe-  
que reuerendum IOANNEM GEORGIVM  
FRIDERICVM VVOLFRAMBSDORFIVM,  
equitem Variscum, et dynastam Koesteritii, eun-  
demque Ecclesiae Martis purgenfis Canonicum,  
quem amplissimarum HERMANNI possessio-  
num heredem ominamur. Nostrum est autem,  
quibus curam conuictus commendatam uoluit  
HERMANNVS diuus, elaborare, ut tanti prae-  
dicetur Fundatoris in annos singulos benignitas,  
neque committere, ut, dum liberalis fiat sumptus,  
interea summi laudatio Herois publica omitta-  
tur. Idque eo minus, quod nihilo minore libe-  
ralitate, quam iudicio, conuictum gratuitum A-  
cademiae legarit Heros. Namque et beneficium  
constitutum breui post tempore auxit in maius,  
et delectum etiam habuit eorum, ad quos illius  
fructum peruenire uellet. Voluit autem, eodem  
et egenos uti, et eos ciues, atque indigenas, non  
igna-

72245170 (x 299 1231)  
ignarus, cum ipsam rationem naturae hoc dictitare,  
tum a uiris sapientissimis scriptum esse, officia aliis ma-  
gis, quam aliis, deberi. His igitur ornamentis sicut  
nihil est naturae hominis accommodatius: sic nihil,  
quod maiores Heroi conciliauerit laudes, uel ad serif-  
simam usque posteritatem transmittendas. Eas uero  
laudes oratione luculenta hodie persequetur uir nobi-  
lissimus, eruditissimusque, IOANNES ERNESTVS  
AMENDIUS, Graefenhaynensis Saxo, memoriamque  
constituti in hac Academia tam ampli, tamque libe-  
ralis conuictus eius, qui a conditore diuo nomen tu-  
lit, renouabit, officiumque illud, quod tertio abhinc  
die, quoniam dies iste dies publicarum supplicationum  
fuit, Diuo persoluere non quiuit, peractis hodie a me-  
ridie sacris, suo, pariter ac reliquorum alumnorum, no-  
mine, persoluet. Quod ut perficiat, non solum uo-  
luntate, uerum etiam necessitate quadam, se commo-  
ueri, animaduertit, qui cum uiris quibusque sapientif-  
simis nullum officium referenda gratia magis necessa-  
rium statuatur, ipsumque beneficium non modo reddend-  
um, sed etiam maiore, quam, qua acceperis, men-  
sura reddendum, putet, agrorum more fertilium, qui  
multo plus, quam receperint, afferre consuerint. Ve-  
runtamen, cum, Maecenati incomparabili, praesertim  
in coelis recepto, se, sociosque suos, tali modo satif-  
facere non posse, intelligat, ipsis solatio uel sola erit,  
confessio, qua AMENDIUS, suo, iuxta ac reliquorum  
alumnorum, nomine, HERMANNO WOLF-  
RAMBSDORFIO, diuo, sempiternam summi bene-  
ficii memoriam, praedicationemque, publice, more,  
consueto anniuersario, recipiat, ac polliceatur. Ad  
quem attendendum ut hora III pomeridiana in acroa-  
terio maiore frequentes confluatis, quaeso uos, CI-  
UES, perhumaniter, obtestorque. P. P. VII TRINI-  
TATIS, anno recuperatae per CHRISTVM  
gratiae clo lo CC XIII.

---

VITEMBERGAE,  
PRELO SCHROEDERIANO.

Dr. juris. Faust. De Wollrambendorf

F.R. 110. 21

Z f  
6170



**RECTOR**  
**AE VITEMBERGENSIS**  
**ALTHASAR**  
**ERNHERVS**  
 ON· REGIS ET ELECTOR· SAXON·  
 ET IVSTITIAE PANDECT· PROF· PVBL;  
 IC· SENATVS ECCLES· SCABIN· ET,  
 DINIS IVRID· ASSESSOR  
**S ACADEMICIS**  
**S · P · D ·**